

„Ἄλλων πάντα φέρει· δολιχὸς χρόνος οἴδεν ἀμείβειν
οὔγομα, καὶ μορφὴν, καὶ φύσιν, ἥδε τύχην.“
ΠΛΑΤΩΝ.

Orta dies niveum splendore impleverat orbem,
et sol dispersit candidior radios.
Nos petimus campos, curas et mittimus urbi.
(Rustica curarum nescit amara cohors!)
Hic quum mente hilari reputarem fata Lycei,
quae fuerant et erant, quaeque futura forent;
Vestri abitus, Socii, occurrit proh tristis imago,
atque rigat subito plurima gutta genas.
Et nunc labuntur lacrymanti talia verba,
et querulo gemitu consonat omne nemus:

„O tu, quam colimus, Phoebo gratissima, sedes,
Musarumque pio mansio grata choro!
Quis tua tam subito invadit penetralia luctus,
occupat et moeror quis tua tecta novus?
Nos lacrymas miscere tuis certabimus undis,
nosque tui socios ecce doloris habes!
O si tam rapido cursu non advolet aetas,
qua iuvenes, nostrae prima corona scholae,
hanc sedem linquunt, et eunt, quo docta Camoena
ad maiora vocat, quae Charites cupiunt.“

Ast ego dum, hasce querelas fundens, pectora plango,
vox venit altisonans aethera per liquidum.
Obstupui primum, gelidus circumstitit horror;
fulgens tum Genius talia verba facit:

„Siccine pro plausu lamenta reposcis amara
et pro blandisono carmine triste melos?